BURCHERI DE VOLDER
Philosophiæ & Matheseos
Professoris

LAUDATIO

AB

JACOBO GRONOVIO

PERACTA

Ex decreto Rectoris Magnifici
& Senatus Academici.

A. d. XVII. *Calendas Majas.*



LVGDVNI BATAVORUM,
Apud CORNELIUM BOUTESTEIN, 1709.

POSTERITATI & MEMORIÆ

VOLDERINÆ

Eamque ſacram habentibus

D. D.

AUCTOR.

LAUDATIO B. DE VOLDER.

ADſum igitur, ut voluiſtis, publicus lætitiæ infinitæ præco, & in hoc Famæ ipſius tholo, tam verſus omnes eruditi orbis plagas patulo, pronuncio, Virum Magnanimum & Philoſophum plane ſingularem, renunciantem procellis & intemperiis omnibus compotem factum eſſe tranquillitatis perfectiſſimæ, cujus primordia pro virili hîc uſurpaverat. Illum ſcilicet Virum, qui poſt promiſſam manum in extollenda Academia, ſic ad illud opus ſe exſuit, ut laboris ſedulitas & felicitas, ſolertia in verſandis & acuendis ingeniis, mentis ac ſapientiæ vel in ſtudiis vel in negotiis altitudo, fides amicitiæ, ſanctitas conſiliorum, propoſiti, ſed innocentis, inconcuſſa pertinacia, nullius niſi conſcientiæ terror, in jocis & ſeriis concinnitas dexterrima, communitas & benevolentia erga quemcunque, ſi ullum unquam Profeſſorem, hunc certe ab omni laude & inte-

gritate feliciſſimum conſummaverint, inania cuncta & peritura reliquiſſe. Illum Virum ex hac tam inextricabili naſſà, quam vitia, quam corporis debilitas, quam ſordidum hoc mundi jugum, quam pravi homines ſolent ponere, exiviſſe non præ terrore ad fugam, non ut transfugam ob pœnitentiam vitæ prioris, ſed victorem, qui quod contendit, obtinuit, ad ſpei quam foverat certiſſime ipſi adlucentis obeundam poſſeſſionem. Illum Virum, qui ſemel perſpecto ſingulos dies ac ſolis per eoſdem iteratum jubar eſſe velut totidem non annulos in ficta catena Homerica, ſed gradus ſcalarum hinc in ipſam cœli beatitudinem pertinentes, magnos inde ſpiritus ſumens, eam ſibi imperavit luctam, ut per illorum unumquemque penitus penituſque conſcenderet extremum, hunc, dico, denique impetraviſſe, ut quod ab effuſa Dei neceſſitate ſibi traditum ſciebat & idcirco curatiſſime habendum, emiſſum ex his inquinamentorum vinculis, rurſus Deo, æterno ejus cuſtodi, inſinuaverit. Hoc præconium exſequor non ab agonothetis juſſus, ſed ab illo ipſo nactus laureatas literas, quùm in luctando triumphans, quum in dormitorio ſuo abditus, ſed tantum non adflans cœlum mente ſpiraret exitumque ab his ærumnis proſpiceret fiduciæ pleniſſi-

niſſimus. Quid igitur reſtat, quam ut & in hoc Muſeum & in omnia alia per regiones famæ cognitas, ſplendida & exquiſita hilaritatis ſymbola deferamus, ipſo ſæculo & mundo lætante, quum audit bene meritis tandem præmia nunc quoque evenire? Illum Virum noſtis omnes, nec opinor deſignationem magis arctam & propriam exigi. Quod ſi tamen præconii integritas requirat quoque nomen, eſt is ipſe, qui nuper a nobis ſimul ſepultura veſpertina, ut factum voci Latinæ reſpondeat, compoſitus fuit, BURCHERUS DE VOLDER.

Ad hoc nomen quum per tot annos, immo univerſam meam in cathedra vitam exſultare & tripudiare ſolitus fuerim, non unus & mea quadam ſingulari voluntate, ſed ſimul tractus meliorum conſenſu, ſimul tamen & ingenii mei non enarranda proclivitate, quid vobis, Auditores, animi eſſe opinabor? Quod uti neſcio, & inſtare erubeſco, ita de me id fateri queo hactenus me fortem fuiſſe. Dum intentus fixuſque cerno felicitatem Amici mei, & tantum conſiderando amplector indulgentiam miſſionis divinæ ab his tam periculoſis ſive excubiis ſive præliis, potui inſtrumenta vocis per eam agilitatem conſtantiamque verſare, ut præconis hujus perſonam vobis forſan

non offenſantibus implerem. Fateri tamen rurſus debeo in pronunciatione iſta nominis modo ſuavisſimi demum ſenſiſſe, quam injuſta eſſent hæc juſta, quibus ſupremam Viri Maximi exclamabam, & prorſus a me non peragenda, niſi jam per dies per noctes egeſta molis dolorificæ plurima parte, decus publicum & loci hujus ratio compellerent qualitercunque robur aliquod ac duritiam vel mentiendo æmulari. Sed interim denuo dolent velut ſtimulo immiſſo & fere occœcantur oculi, dum me tantumquod reſpiciente & ſalutante illum ſedi meæ ex vicino junctum locum advertunt nullam fieri reſalutationem. Ipſum pectus meum non percipiens iſtam inflammationem ex amata illibatæ dulcedinis effigie effluere ſolitam concreſcit & angitur. Quid inde menti poteſt accidere aliud, quam ut velut inconſpecti nuncii eidem indicent jacturam ſuam & calamitatem, edoceantque illud ad omnem vitæ hujus amaritudinem abſtergendam efficax ſubſidium, illud perſpicaciſſimum in dubiis lumen & conſilium, illud inſtar & pignus cognitiſſimæ commoditatis erga Academiam, illud ſolertiæ & venuſtatis ſacrarium, illum VOLDERUM eheu! abiiſſe diſcinctum, nec reverſurum ut denuo cingatur, quippe commeatu in æternitatem patente, &

meam.

meam posthac vitam fore sine pulpamine & sale, hoc est, lepore VOLDERI? Sic per ipsam agnoscens præsentia, sentio me tantis implicari tristitiæ nexibus, ut aut totus fere ex me ipso exturber, aut si quid remanet, fessum jam inclusis in abdito querelis, iterum in eas exardescere concupiscat potius, quam hoc loco eximie, sed absurde ostentari. Utique singultibus & trepidis suspiriis immixtus horum octodecim dierum paratus, quasi atrox ad duplicandam cœnam novendialem instauratio, expectorando everrit istud omne, quod a me exspectabatis, adeo ut injuriam mihi factum iri tester, nisi cummaxime omnes imaginemini vobis in hac cathedra pictum oratorem cerni. Quid ego Apollinis & Musarum sacra profano per querulam tristitiam, quæ inde abesse debet, quum sit inertiæ aut mater aut soror? Quam bene hucusque secessi mihi, & absconditis lamentis me pavi? Quum ab ipso cœlo retrudar in solitudinem; quum excussus & furiatus vires internas per conjunctissimæ partis meæ avulsionem nihil nisi magis magisque stupefiam; quum laudatio sincerissime peragatur lacrimis & tacita pietate; quid ego desolatus & spelæa ferarum sequi præoptans inducor in theatrum & locum sermone exornandum? Quod si post depositas exuvias

oportuit novari tam mœſta & luctuoſa, quidni pergo ploratibus inquietas horas in ægro ſpiritu ducere publico abſtinens ac ſine doloris inſignibus, prout fuit libitum, aut ad urnæ tuæ, VOLDERE, & oſſium tenebras clanculum adſidens? Quæ violentia me ſic evocat, ut conſpectu tam multiplici quaſi captato videar facere, quod ex attonito & defixo intima viſcera evibrant? præſertim quum etiam manes tuos revellere videar, offerendo ingrata & impia libamenta, quippe per quæ abſtraheris ab integra tua certaque ratione, qua aſſidue mandaviſti, ſilentium morti tuæ concedi. Pereunt profecto & evertuntur mores, ſi id quoque tantillum poteſt invidiæ ſubjici; & ne hoc quidem obtineri, quod nulli eſt moleſtum, ut mortuus pro mortuo habeatur.

Videtis, Auditores, angorem meum, & quantopere ſuſpenſus non hæream magis quam per omnes partes exulcerer & exacerber. Sed dum ita vobis me patefacio, deprehendo ſimul, nec menſuram cladis a me capi poſſe, & pariter ita impetrabilem hunc mœrorem eſſe, ut tamen laxari fauces in vocem permittat. Propterea qualitercunque depreſſus conabor abſconditis pauliſper miſeriis & ſuſtinebo ire in ſententiam vocis publicæ, qua nulla major me urgere po-

teſt

test necessitas. Placet ut in Philosopho parumper utamur Philosophia, hoc est, meditatione mortis. Velim & nunc & diu posthac in ore, in oculis, in corde habere VOLDERUM. Velim pectoribus aliorum velut sanctis templis imprimere VOLDERINÆ mentis imaginem, atque ita adjuvare pro viribus, ut ejus memoriam excipiant omnes anni consequentes. Non enim ille spectatorem magis egit in transeundo hoc vitæ mercatu, quam spectaculum se ipse fecit, præbito posteritati exemplo Professoris, qui ita pares cum Academia rationes habeat, ut hæc nihil queat illi imputare. Justissime igitur, Clarissimi Collegæ, statuistis eminentis hujus viri exsequias ab promiscua & taciturna sepultura separare, ut accipiant habeantque propriam apud posteros existimationis vestræ declarationem, quam respiciat juventus sequutura. Me quoque id postremum amoris mei opus exsequi conantem tuebitur facilitas Amicissimi modo Capitis, semper mihi patens, semper indulgens, & dicis causa me deludam imitatione moris antiqui: ubi quum consanguineus arcebatur parentare defuncto, mittebat vicarium, qui inter libandum alloquens ejus manes narraret, a quo & qua causa mitterentur inferiæ, quas ita placatus acciperet. Quippe & mihi, dum hæc A-

ca-

cademica solennia optimo collegæ persolvo, proponam eum non rejecturum fuisse hæc munera, si pariter novissima amicitiæ petitio & publicæ causæ gratia incubuissent. Credam nefas esse non posse, ut quod VOLDERUS ipse præstitit Viris Doctissimis Sibero Coemanno & Lucæ Schachtio, Dilectissimis Amicis, Gronovius præstem VOLDERO ex illa ipsa cathedra, unde ipse non dedignatus fuit & patrem meum & me nominare non sine amoris testimonio. Deinde & ipse nomen ejus sæpe vocaturus, ante omnia non tacebo, qua auctoritate munitus curationem hanc obire nitar. Hæc quum a vobis, Academici Patres, præcipue profecta sit, ac tamen perinde magnum pondus mihi esse debeat Vestra, Viri Amplissimi, expectatio, qui simul omnes declaravistis sæpe, defunctum curæ Vobis fuisse; plurimi etiam familiaritatem ejus mutuis officiis grate coluistis; tum Vos, inquam, Proceres Illustres, tum Vos, Professores Clarissimi, ac denique qui adestis omnes, nolle rogari credo utique VOLDERI causa, ut benevolo auditu hanc horam concelebretis, quod tamen & oboriens tremor & inde succrescens suspicio compellunt me, ut mea causa vel enixe rogem, quod facio.

Notum vulgo est articulos & gradus humanam vitam

vitam ſtato numero producentes diverſa ſimilitudinis elegantia, ab variis illuſtratos eſſe. Ex his ſpecimen unum, ſermoni per VOLDERI noſtri vitam decurſuro placet arceſſere, quod & excellentius ſane & apte congruum, & mihi perplacitum, omnes credo fatebimur, petitum ab ingenio Secundi etiam philoſophi. Hic enim ab Hadriano Cæſare talibus acquieſcente rogatus de homine reſpondit eum ſimilem balneo eſſe, cujus prima ſit cella tepidaria unctuaria, ſic infantiæ propriam partem tangens, reliquis ordine ſequuturis. Ad quam ut accedamus, noſſe licet me veniſſe in hujus Academiæ cœtum nulla ante notitia defuncto noſtro conciliatum, & ubi nos Deus & ratio juſta colligavit, non ipſum multa quæſiviſſe, unde veniſſem aut oriundus eſſem, nec me de ipſo. Talia aliena nobis non tempus permiſit, non voluntas. Reſpeximus nos invicem ſolos, & ex amore mentes utrinque transfudimus, has explorandas & probandas dedimus, ut veritatem hîc quoque amplexis contingeret copulari, ac commilitones, immo & contubernales promtiores faceret oblivio loci natalis cognationumque & majorum, & quidquid harum nugarum aut ab fortuna aut ab natura adſpergi olim dixerunt apud vanos ultra fas æſtimari ſolitum,

tum, & unum, quo se jactitant plane etiam senes sane puerilibus crepundiis, quippe quæ & diffluunt sæpe & nocent. Non aliter nunc res instituenda est a vobis, Auditores, VOLDERUM contemplari volentibus. Ac licet recordemur multis ex natali solo adspersa fuisse convitia, tamen tot sæculorum spatia quid nisi monstrarunt Deum in efferendo splendore non adhæsisse uni regioni aut urbi, sed vim & potentiam suam ubique signatam exstare voluisse? Utique interest,

——— *Qualis, non unde satus.*

Habet tamen noster, in quo sibi placeat, rura Hollandiæ, felicia illa & totius Europæ quædam Jolaeia, quæ celebrabantur Sardiniæ, primas vagitui suo cunas dedisse, idque in vicina Megalopoli, totius orbis hominum ac rerum uberrimo ac sapientissimo hospitio, idque in domo, quam sicut nec Mausolea proavorum illustrant, nec magna lucra intraverunt, sic nec damna, ferme quotidianâ illic conversione, nec ullius degeneris nota; fato scilicet ita componente animum ejus ad privatum quidem nitorem, sed tamen amplitudinem patriæ mente æquandam & stabilem modum rebus capessendum. Domum certe negari nequit honestam fuisse, ex qua matrem ejus-

ejus Mariam van Liesveld antea in viduitate contubernalem ſororis, in extrema ætate aliquamdiu domeſticam filio vidimus & ſepelivimus, frugi & modeſtam; quæ nupta Juſto de Volder, inter aliam ſubolem, nec numero arctatam, nec ſexu uniformem, ſed utroque ſatis proſperam hunc BURCHERUM quarto conjugii anno peperit ſexto & vigeſimo die menſis Julii anno tertio & quadrageſimo præteriti proximi ſæculi, qui erat dies Dominicus noctis hora ſeſquiprima. Quod ita acriter & perſcrutari mihi libuit & palam prodere, non quò tempora diſcernam inſtar aſtrologi & ex genitali hora dimenſus ſpatia ſiderum vaticinari velim, quales annos dieſque habiturus foret noſter, ſed ut lætæ relationis auditu illam jubeamus macte eſſe præclaræ frugis ubertate. Neque eſt, quod ulteriores avias revellam.

Riſiſſe ipſum in ulnis parentum & circa eorundem genua luſiſſe, etiam provolvente ætate per literularum exordia teneritudinem ejus productam fuiſſe, ultro intelligitis. Non tamen progredi oportet, retinente hanc narrationem prima quoque indolis feſtivæ in acriculo noſtro BURCHERO exundantia. Nam quum pater primos annos impendiſſet pingendo, tam feliciter, ut plane exiſtimaretur habilis; poſtea tamen mutavit vitam

adverſariis & computis ratiociniorum inter mercatores comparandis; ita ut animo & corpore involutus numeris, hunc noſtrum exactiſſimum numerorum non in pecuniariis ſordibus, ſed cœli terræque retruſis inveniendis ratiocinatorem genuerit. Eam vero artem ſive operam ita ſanćte, ita perite dexterrimus vir exercuit, ut quantam vellet pecuniam offerrent primarii in foro Amſtelodamenſi; immo flerent, ſi quos ob quaſcunque cauſas putaret deſerendos. Inter hæc tamen quaſi forenſia otium domeſticum utiliter collocans, in quorumvis hominum, ſed a Latinis minus paratorum gratiam, libros VI. Hugonis Grotii de veritate religionis Chriſtianæ in ſermonem vernaculum tranſtulit; ut inde pateat, quo ſe tulerit viri illius ingenium, cujus quidem libri adjutorio ſicut uſus fuerat in firmanda notitia Dei, ita eidem vocanti obtemperans deceſſit anno LXIX. ipſo nempe, qui anteceſſit vocationem filii Leidenſem.

Sed dum ita ſe domumque ſuam laudabiliter tuetur, ac tempus, Dei donum, non ſpernit; & naſcitur & augetur annis ac menſibus hic filiolus, oppido minutus ac tenuatus, cujus erat hæc indoles, ut quum more puerili varia tangere, verſare, ſpargere, diſcerpere etiam vellet, nulla alia ſic

ſic integra ſervari cupere, nulla ſibi ſic allubeſcere oſtenderet, quam libellos & chartam. Hæc res advertit patrem, qui, velut ex arte pingendi ſolitus lineamenta vultuum inſcrutari ac ſibi infigere, didiciſſet quoque internam animi indolem rimari, iſtam adumbrationem futuri temporis, vah! quam præſagus agricola non dubitavit retinere & ingenii hujus agrum colere, qui vel cum milleſimo ſementem efferre pollicebatur. Fovit enim id enixe chartas & libellos offerens filiolo ad lubitum & cumulos, idque perrexit facere etiam in majoribus annis, ut vix domum veniret, quin aliquid libelli denuo emptum filiolo donum ferret. Immo quum ob id ſæpe derideretur ab matre, etiam cerebri imbecillitatem verente, gaudere illam jubens reſpondebat nihil præberi filio, nihilque in domum adferri, niſi cujus pretium ab ipſo numeratum eſſet, ac ſi matri non daretur ante proſpicere, quid in iſto Burcherulo abſconderetur, permitteret ſpei paternæ aliquid indulgeri.

Apprehenditis primam & ſatis fatalem ſtudiorum defuncti noſtri originem. Nam ſagaciſſimus pater, perpenſo quid ad propenſionem ejus inſitam foret, blandientia hæc primordia uſque & uſque ſequens ac nutriens non modo infantem

adhuc docuit differentias literarum monſtrantibus digitulis cognoſcere ipſo pronunciante, ſed etiam, quum pueritiæ anni vocarent, Latinis & Græcis inſpiciendis ad ludos literarios filium duxit, repulſis aliis vitæ ornamentis, quibus deſtinari poterat. Et ſic cernimus VOLDERUM noſtrum tranſſcribi in cellam ſudatoriam, cui pueritiam & adoleſcentiam aſſimulabat Secundus.

Regebat tunc eos ludos Cornelius Sladus, vir artificii iſtius laudatus, cujus quoque gratam ſibi eſſe recordationem nobis declaravit filio ejus Matthæo, Medico & Græcis literis mirabiliter dedito, nuper Oxonii mortuo & ſepulto, in hoſpitium come admiſſo. Enimvero patefacta hac area effuſius exſeruit, quid in ipſo lateret, nuſpiam tergiverſatus aut remiſſe agens, quin percurreret iſtarum Scholarum ſacra; & ſicut exacte annos menſeſque annotari non refert, ita inoffenſo impetu vehens per medias & magiſtrorum & æqualium laudes ac præmiorum teſtimonia, & pleriſque quæ ibi tradebantur initiatus, anno ſeptimo & quinquageſimo ſupremam ſcholam laudatus deſeruit, teſtante id Annæo Seneca, cujus operibus eum tunc juſſu Scholarcharum donavit Sladus, quaſi abhinc Philoſophica commendantium. Toto autem iſto tempore ita exiguæ

guæ ſtaturæ itaque macilentus fuit noſter, ut nullius præmii lator domum eſſe poſſet, capſario identidem eum adjuvante.

Ab iſto etiam adductiore diſciplinæ modo liber & jam magis ſui arbitrii, nihil moratus ad majora ſe in patria urbe contulit. Nam quum Amſtelodamo tunc ita bene eſſet proviſum, ut Philoſophicas varietates liceret accipere ſimul Mathematicis, credidit ſe tam robuſtæ & capacis eſſe mentis, ut quum duo incliti Doctores ſeparatim eas traderent, ſub utroque poſſet creſcere. Horum nomina ipſe nec ſine gratiſſimæ voluntatis profeſſione & juſtæ laudis commemoratione indicavit in utraque, quam dixi, Laudatione, quum Coemannum & annis æqualem & ejuſdem Muſæ haberet æmulum, ſive ab ipſa tirociniorum origine additum, etſi hic elegiſſet ſcholam Junianam, ſive ab conſortio Philoſophiæ & conſenſu animi electum. Cui induſtriæ ne exiſtimetur bonus eventus defuiſſe, enimvero ita res cecidit, ut quum per mediocre tempus illic exercitiis adfuiſſet, magnus jam & plane optabilis incrementi noſter præbuerit ſe ſpectandum Ultrajectinis, ita ut poſt diſputationem de Simplicitate Dei, de Echo, de Republica coronatus fuerit in Philoſophia & Liberalium Artium Magiſterio die Octobris octavo de-

decimo anni ſexageſimi. Hoc ſtadio ita fauſte & properanter decurſo ipſe quidem regreſſus eſt domum, ſed ſubſtitit Ultrajecti Coemannus neſcio quî exiſtimans indagandum & acerbius inſpiciendum, quod ſemiclauſis oculis e longinquo fulgere obiter monſtraverat Clariſſimus Profeſſor Philoſophiæ de Bruyn; tanti æſtimatum ſemper noſtro, ut propterea exclamarit ſe plurimum ei debere profeſſurum, dum ſpiritus hos regeret artus. Doctrinam quippe ſe ſectatos perceperant ſpinarum matrem, frumenti novercam, & in Metaphyſicis ſimulacra acceperant, corpus & mera veritas aberat. Hinc illæ denſæ literæ de mutuis profectibus inter noſtrum & Coemannum; tunc ferbuit iſta ſapiens ac meditabunda lectio Carteſii: teſtante palam noſtro tunc ſe animadvertiſſe, quam perfunderetur ſenſim majori veritatis luce, experiretur mentis diſpelli tenebras, & habere nos in nobis ipſis, modo dotibus a Deo conceſſis rite utamur, ſufficientem circa has res veritatis ſcaturiginem. Id quod veritatem appellat, dulcedine ſua excellere & animo humano bene conſtituto ſolum placere poſſe & debere, etiam ubi forſan radit malignas aures. Adeo patet nequiviſſe pati noſtrum, ut poſt fruges repertas glandibus uteretur deinceps. Atque ita

ita præparata molliter & expansa intus sede cujuslibet boni accipiendi perita, non continuit noster, quin se concuteret vehementius, ut ulteriora obtineret. In his quum ad Medicarum rerum notitiam vergeret, credidit eas castius tractari in hac Academia, quum novo tunc & placitissimo docendi & exercendi modo in infinita audientium corona istic eniteret Franc. Sylvius. Sed adolescens noster jam octodecim fere annorum, etsi philosophiæ quidem sacratus & mente excelsus, habebat tamen aliquid imbecillum, quod pater vix sustinebat convictui hominum ignotorum, domui extrariæ, tanto peregrinorum concursui credere, præsertim quum hic novellus philosophus libros adsuesset aperire, non patinas. Itaque extorsit Laurentio Borman amico suo & civi hujus urbis, ut tecto & mensa sua recipere filium vellet, ita procedente mansionis hujus ingenio, ut post annos quatuor sibi curaret induci quoque nomen Medici post Disputationem de ipsa Natura die III. Julii anno quarto & sexagesimo. Sic geminâ adoreâ insignitus revertit ad suos, neutram Musam omittens, quin assiduitate omni expoliret, seu privatim meditationibus inhærendo, seu publice valetudines regendo, cui magnam fenestram illi aperuit decreta præfectu-

ra valetudinarii Remonſtrantium. Sed præcipuus amator philoſophiæ diligenter ſe conferebat, & quidem cum frequente comitatu, ad diatribas Doctoris Biæi, non auditor, ſed antiſophiſta, ſæpe vi ſua præſidem turbans, ut hinc effloreſcentis etiam rumor ſpargi cœperit inter eruditos magnæ urbis de nota optima.

Neque tamen iſta mœnia ſignare & includere poterant limitem famæ tam conſtantis & illuſtris. Egreſſa eſt in omnes appoſitas plagas. Sed nullo tempore crediderim famam minus mentitam eſſe, quam quum Illuſtri Curatorum Academiæ & Conſulum Collegio VOLDERUM tradidit. Quum enim in hac ipſa locus eſſet vacuefactus diſceſſu alterius, ac non minori cautela & inquiſitione mereretur ſuppleri, quam qua vel in Senatum Laconicum aut in Atticum Areopagum ſubſtitutus olim fuiſſe legitur, miro conſenſu præconceperunt omnes virtuti per tot experimenta probatæ in adoleſcente indolis quidem certæ, ſed nondum ſedis, prorſus reſponſuram fortunam claro loco adfixam nomineque & munere inſignem, ipſiuſque adeo Philoſophiæ vel magis Veritatis diſcipulum agnitum iri, cujus arcem fortiſſime noſſet tueri. Sic urgente fato in thronum hunc Philoſophicum invectus eſt, quum & ipſe non dubitaret huc accedere, duntaxat

ut

ut denique desineret vel sibi soli inhærere, vel privatæ & ignotæ meditationi servire; & pro more ad inaugurandum ex hoc ipso loco die octavo decimo mensis Octobris anno septuagesimo, quo penes patrem meum erant fasces, habuit concionem.

Quod tamen antequam perageretur, incidit aliquid non tacendum, utpote pertinens ad hunc Philosophum. Sicut enim fieri solet, deductus erat VOLDERUS ab parentibus in sacraria, quibus ipsi adsuerant, sive illa impetu, sive gravibus sanctisque causis electa sectæ Mennonisticæ: nec huc usque omiserat eadem frequentare, sed ita, ut, non contemnens sui judicii & examinis, acrius jam rem magni momenti secum perpendisset, certus, quò se recepturus foret, quod mox ex doctrinæ modo & collectione qua utebatur, patebit. Nunc igitur, antequam nactus esset codicillos, ne opinaretur se invidia intactum, nescio cujus delatione apud Auctores vocationis veniunt in disquisitionem mores & cærimoniæ, quas in divino cultu hic novus Professor sequeretur, tam nodosæ difficultatis, ut vix uno consessu de eis posset decidi, dilata itidem traditione codicillorum. Sic illa moræ causa venit ad aures VOLDERI; qui nihil sollicitus de recenti favore in frigus mutaturo statim curat indicari Proceribus, se jamdiu id

animi cepiſſe, ut nomen ſuum referretur in album Gallicæ Eccleſiæ, nec id dilatum iri; cæterum ſi Illuſtres Curatores ita de ſe exiſtimarent, quaſi id facturus foret venditatione loci Academici, aut id actum vellent, ut poſthac traduceretur, tanquam inhians huic decori aliquid mentis ſuæ aut fidei fregiſſet, ſe vero faceſſere jubere oblationem, & poſſe illos e veſtigio bona ſua cum venia deliberare de alio ſubſtituendo. Adeo VOLDERUM nulla cauſa impedivit, quin innatam libertatem teneret ac fateretur. Adeo animus VOLDERI voluit quidem anniti ad aliquod adminiculum, ſed nequivit his rebus adfici, nec toleravit ſe fatigari aliqua mortalitatis illecebra; præſertim ut admitteret, ad quod forſan poſtea invitus oculos eſſet retorturus. Ille animus jam tunc erat in iſta exaggeratione locatus, ut poſt Deum ex ſe ipſo omnia haberet apta, ut quemadmodum in montibus ſupra nubes elevatis ne pulvis quidem ab quali quali procella commovetur, nullæ aſperitates deterrerent ab quiete ſua & tramite veri, quod anxie quæſiverat. Si nihil aliud, didicerat non pendere ex ſplendoris aut temporis ſuffragio, ſed ſtudiorum cultorem circuire hîc oportere inſtar avis, ſi eſſe poſſet, ſenſu præditæ volatu libero, non captioſis formulis adſtri-

ſtricto, non Magnatum cœtibus inſerviente, dum officium ſuum faceret; id quod maximo opere illum mox adjuvit in ærumnis, quæ ſequutæ ſunt.

Octavum & vigeſimum annum gerebat noſter, quum in hanc Academiam & inde in comparationem omnium priorum evectus, ſimul in cellam aſſam perſerentariam, juventuti denotandæ attributam, intraret. Vix dijudicaverim, utrum exiguam, an longam ſtatui oporteat fuiſſe hanc dilationem, in quam exſpectanti mundo jam variis ſpeciminibus promiſſa illius amplæ mentis myſteria extrahi contigit. Enimvero VOLDERUS primo ſtatim ſaltu in Academiarum Matrem migraturus, & ſic judicio Procerum in aſpectu & ſermone quorum non ? hominum verſaturus, bene & acute collegit manum Dei nunc conſtituentis ipſum in orbita certaminis per univerſum hujus vitæ tractum decurrendi, nunc offerentis felicitatem, quam diu uſurpaturus ſapientiſſime cerneret adminiſtrandam, præſertim quum ab eodem intelligeret ſe comparatum eſſe ad omnem Academicæ ſucceſſionis memoriam vi & doctrina ſua ſuperandam. Suffecerat illi antehac in ſolo veri intuitu cum æqualibus inſtituendo habere poſita quædam jocoſæ dulcedinis armamenta:

nunc altius subductis rationibus animadvertebat se compelli nihil aut minimum sequestro ponere, sed in se ac sua perspicientia habere omnia certa & explanata, quæ aliis ab ipso edita possent placere, & pede suo consistere. Poterat intelligere elapsam ætatis partem contigisse ipsi agere extra invidiam, etsi non extra quendam bonæ famæ favorem; abhinc quo altior & conspectior evasisset, limis fascinationibus exemtum & immunem se statuere non audebat. Hinc omnes aditus ad fraudem obstructi, & ab sola virtute satellitium quæsitum. Jamprimum remissis & abjectis illis omnibus, quæ poterat vel olim in hac Academia vel mox in patria visitandis ægrotis collegisse ad medicæ peritiæ incrementa, noluit se in duas scientiarum semuncias diffissum vagari & nescio quas majores spes ostendere; sed in unum istud, quod promiserat, totum se horasque & lucubrationes impendit. Dum vero ita nihil aliud quam sola loci sui ornamenta spectans, universam industriam optima fide dicat, idque curat, ut quammaxime perfectum Doctorem Philosophiæ exhibeat audientibus, proh! quanta virtutum corona hanc unam comitari cœpit? Neque enim inde agitatio tantum continua studiorum; sed jusso animo incedere ad vestigandum

&

& reperiendum, ut omnis anſa controverſiarum demeretur; amandatæ procul inanitates, & quam maxime fortibus habenis ſingula coercita, ne fortunæ quidem præbito ullo, quo attaminare hanc mentem poſſet; nullus æſtui, quo abriperetur vel abſorberetur, relictus locus; remotum, quidquid vulgariter frangit animos, odioſumque & putidum habetur; contra ab ipſis unguibus ad ſummum verticem integer & amabilis, induto genere actionum mire moderato, & tamen adfluens lepore, ut plane in VOLDERO Titum Cæſarem cerneres Succeſſorem Patri in Imperio factum nullo vitio reperto & contra virtutibus ſummis.

Quam multus ille fuit in peragendo ſubtiliter totius Philoſophiæ orbe, quam benignus facilisque & perſpicuus in ducenda juventute non anfractu & circuitione, ſed directo, non verbis obſcuritatem & hærendi cauſas augentibus, ſed liquidis, & per quæ abditum quodcunque ſubjiceretur oculis? Quam claris omnino & facunde etiam ſcriptis frequentibus commiſſionibus præerat ipſe non minus ex tempore facundus in laqueo, qui nexus videbatur, ſolvendo? Hinc & per ipſum illatus perpetuus experimentorum uſus in Theatro Phyſico ad hanc rem exſtructo, ut ita ſe præ-

eunte

eunte manifeste ſpectarentur, ex quorum ſimulachro abdita poſſent detegi. Quod ut inſtrueretur organis requiſitis, ab Ill. Curatoribus & Conſulibus mandata accepit noſter Gallicum iter ingreſſurus, ut vel magnas pecunias impenderet eis coemendis. Id enim ſibi deeſſe ratus anno primo & octogeſimo viros doctos in Gallia ſalutavit, ſicut quarto & ſeptuageſimo in Britannia. Nullam exornandæ Philoſophiæ materiam declinavit perrepere, quæ aliquod veri adjumentum contineret, quin ſtudioſos publice privatim induceret. Ipſa Academiæ diaria ſine fuco annumerant ex ordine temporum Logica, Phyſica, Meteora, Mathematica, Metaphyſica, celebriora philoſophiæ Problemata, Geographiam, Aſtronomiam, Mechanicam, Hydroſtatica, Opticam, Primarias Metaphyſices controverſias. Ad hanc devolvebatur libentius, quo reconditiora complecteretur. Et quidni in tantis apophoretis vel vos velitis guſtare & excipere, vel ego proferre & promere accelerem ex ſchola **Volderina** aliquid auri, quod diſcipulorum auribus inſerebat, ut pateat, quam circumſpectus ille fuerit in divina majeſtate non abradenda per vecordem alterius rei amplificationem? ſic in Metaphyſicis illis, quæ de primis humanæ ſcientiæ fundamentis tractantia in omni-

omnibus aliis ut firma adſumi ſolent, procedente VOLDERI ingenio, ut colligeret I. Omnium rerum eſſe Deum unam cauſam. II. Hunc vero eſſe unum cogitans ſibi ſe totum debens, nec ulli omnino obnoxium cauſæ extra ſe. III. Hunc maxime diſtinctum non modo a corporea materie, ſed & ab omnibus aliis finitis cogitantibus. IV. Minime ergo Dei cogitationem eſſe conflatam ex congerie omnium cogitationum finitarum. V. Contra verò uno ſimplici omnium ſimul contuitu cuncta complecti. VI. Hanc ſcientiam Dei nullam habere in Deo cauſam præter ipſam Dei perfectionem infinitam. VIII. Reliqua quæ ſunt, ideo eſſe, quia perfectiſſimus Dei intellectus ea ita concepit, & perfectiſſima ejus voluntas ita voluit. IX. Non ergo hæc a Deo intelligi, quia ſunt, ſed eſſe, quia a Deo ſic cogitantur. X. Nullum igitur liberum arbitrium in mente, nullum caſum in corpore. Quid hac cauta ſimplicitate ſincerius? quid oppoſitius ad vulgatas illas deſipientium ſtrophas elidendas? quod conſertius tegmen contra quaſcunque petitiones necti poteſt?

Hæc & multa ex illis quæ recenſui, agnoſcitis varia eſſe, quæ tunc demum explicare incepit, poſtquam Illuſtres Curatores & Conſules videntes Philo-

losophiam suam splendidissime collocatam, sane & Mathesin illi sociandam esse censuerunt anno præteriti sæculi secundo & octogesimo. In hac constituerat semper suas præcipuas delicias, quas nunquam ideo neglectas, nunc tamen velut in sinum ipsius fugientes ambabus credibile est ulnis ab eo exceptas, fotas & refectas fuisse. Perlustratos jam olim habebat veteres, adeo ut quanquam obscuros valde, tamen ita penetraverit, ut medullæ ipsius fibras studiose ab illis absconditas explicuerit. Ad quod novâ eum aurâ appellente, o Musæ! quam is elaboravit, ut omnia exquirendo & agitando clarius notescerent? Mathesin didicerat primo vulgarem, quam Syntheticam vocant; paulo post excoluit subtiliorem, quæ Analytica appellatur, qua veteres usi ad optima inventa, sed quam caute texerunt, exceptis Euclide & Diophanto, qui aliquas edidere scintillas. Hic statim immensum profecit; Cartesii, Huddii, Heuratii, deBeaunii, Wittii, Slusii, Leibnitzii, Hugenii, Newtoni inventa excussit, addidicit. Ita ut tandem Logisticam infinite parvorum sciverit inter paucos optime. Illa mirifica humanæ sciendi in Mathematicis facultatis meta: quam Barrovius, Leibnitzius, Newtonus, Bernouilleus ita in sui sæculi celebritatem

ex-

excoluere. Hinc fieri debuit, ut latiſſime didita VOLDERI fama maximam iſti nomini conciliaverit auctoritatem. Quanta erat conjunctio noſtri cum brevi gaudio noſtro Archibaldo Pitkarnio? Quid loquar vel inter liturarios Nobiliſſimi Hugenii repertam chartulam, in qua is accinuit ſibi ab VOLDERO in oratione Profeſſionis Mathematum factam eſſe ſui honoratam mentionem, quaſi oculis ſuis & voluptati non ſatisfieret, ſi noſſet in ipſa oratione id legi, niſi chirographo ſuo ſcriptum aliquoties etiam videret? Ab eodem ultimis mandatis cautum eſt, ut pars poſtuma ſcriptorum ab VOLDERO ederetur, honorato tamen mille florenis. Hinc Ampliſſimus Huddius pari liberalitate inter legatarios proſequutus fuit. Hinc in Academiam Patavinam vocatus libera opinione in rebus ſacris promiſſa. Et quid mirum? quum per has ſcholas VOLDERI contigerit, ut adoleſcens hinc in Brabantiam amotus & laqueis errorum irretitus, quum illi, quorum id opus eſt, nihil profligarent in illius reverſi contumaciâ expugnandâ, ubi audivit ratiocinantem Metaphyſica noſtrum, ultro agnoverit fraudem & rejecerit ipſe religionis veræ tutor factus. Immo nonne meminimus inter joca narrari ſolitum, quemadmodum in remulco ſedens e regione Vir

Primarius propinquæ urbis, quum certæ fectæ addictior & ignorans VOLDERUM effe, acriter & indecore fuiffet in eum & placita nonnulla, quibus nofter patrocinabatur, invectus, pacato vultu & mollibus verbis a noftro ita reparatus fuerit, ut antequam fcapha egrederetur, honeftisfime pœnituerit; imo poftea intelligens etiam ipfum Philofophum noftrum fuiffe, non omiferit ubique præceps fuum juvenile per vituperationem & rifum arguere? Quanto filentio audivimus lectam fuiffe in confeffu Potentiffimorum Hollandiæ Ordinum Epiftolam VOLDERI, quum de Oriente & Occidente excitatum effet negotium?

Ita quum occupatiffimam Philofophicis & Mathematicis vitam ageret, nunquam abftinebat recurrere identidem ad fcriptores Græcæ & Latinæ eruditionis, in quibus palmam apud eum tenebant Polybius & Plautus, quem fere femper ad manum habebat. Inter hæc frequentiffimus in lectione verbi Divini non tantum certis horis, fed fere quoties opera ceffabat. Hoc infpicere folebat non decurrens, verum ad fingulos articulos meditabundus, eosdemque non femel, crebro repetens; & fi quid aut non fatis arriperet, aut exiftimaret propius ad fe pertinere, furgen-

tem.

tem & velut in ruminatione acri, dum ambulat, susurrantem ac volutantem domestici sæpe viderunt, sive infigere vellet memoriæ, sive interiorem ejus causam scrutaretur. Venit in manus meas charta, in quam conjecerat omnia rarius occurrentia Græca vocabula Epistolarum Pauli Apostoli & reliquorum, etiam Apocalypseos, quæ cum vetere versione contulerat, sæpe adscripto quod ipsi videretur; ut pateat ea ab illo emeditata fuisse. Extat altera, cui inscriptum est: Collectio eorum quæ aperto sensu in SS. commendantur ut omnino necessaria scitu vel factu ad salutem, sequentibus numeris ad denotanda illa loca. Et quam vim pietatis censeret, demonstravit affatim disciplina & forma vitæ quam tenuit, velut ad sanctissimum aliquod præscriptum gubernata. Hinc potuit extrema Coemanni & Schachtii tam pie depingere, scilicet quod sibi in antecessum optaret similia evenire. Quod & evenisse Tu, Reverende & Eruditissime Fabrici, testis eris, qui & alloquio & precibus decumbentem hortatus es.

Undiquaque enim intentus amœnitati suæ VOLDERUS quum caveret acriter ne quem diem perderet, nec aliquod officii intermitteret munus, atque omnia desiderat habere evigilata, allevabatur

batur quidem lenociniis istis & gaudebat animus. Corpus, quod ab ista primæ ætatis macie inceperat in justam æqualitatem ac congruentiam temperari & convalescere, satis firmum & par exantlando quod ab eo exigi debebat, denique vires suas obtundi seque hebetari interdum ostendit. Ætas quoque illum jam ad cellam frigidariam (senectutem intelligitis) admoverat. Corpus ergo velut destitui se querens & minans proditionem, nisi studiosius amare vellet, non omisit aliquoties admonere, ut parcius alteri indulgeret, non absumendo artus externos, sed interiore motu concitato, ac denique per vias a natura perforatas indicando, quantis miseriis premeretur. Sæpius in morbos satis sævos ac truces conjectum vidimus; sed in eis tandem regnaverunt indicia icteri, non cute modo ad deformitatem flavæ bilis tormento infecta, sed urina quoque fuscam nigredinem attrahente. Neque sic semel convellisse satis fuit; recurrebat identidem velut ad constitutum, quoties nihil moratus, solennia laboriosæ vitæ repeteret assidue VOLDERUS; præsertim postquam sibi persuadens certum præsensque remedium ab Hoogmadio, Medico & longi temporis Amico, excogitatum esse, eo etiam post mortem istius utens experiretur sibi conducere. Sed qualiscunque tandem fuerit

rit morbi iſtius ſive remotio ſive remiſſio, non fuit adeo cæcus VOLDERUS, ut non ſentiret adeſſe aliquid, quo labefactaretur, & hoſtem in ulnis ſuis foveri. Quod ubi non tenui ſuſpicione, ſed rebus & documentis deprehendit, prudentiam deſerens nunquam, in hac etiam parte judicavit ſanum eſſe oportere, præſertim quum exterreret jam cruentans ſe urina non ſine cruciatu. Enimvero tunc ſibi conſulendum ratus, non ſi omnia morarentur, Academica munera ulterius obire ſtatuit, & e veſtigio ſe iis abdicavit fere ante quadriennium, honoris ergo indulgens Ill. Curatoribus & Conſulibus, ut tamen Academiæ adeſſe & in hac urbe conſiſtere perſeveraret. Reſtitutus quidem fuit ſuus urinæ color; ſed exitus docuit toto iſto ſpatio non vixiſſe ipſum, ſed lente traxiſſe animam, ut corpuſculum extabeſceret. Apparuit velut ex compacto egiſſe mortem & vitam, ut hæc quidem non penitus cederet, mors vero nondum injiceret manus. Quanta erat illa tarditas in ingreſſu? in rebus plane omnibus nauſea, aut immenſa indifferentia? ut quaſi exſul ab vita, quam carpebat, ſuas ipſe per ſingulos paſſus exſequias duceret. Perinde & ipſe opinatus fuit, ita ut more Scythico ſolum lac admittens amicis interdum clare fateretur nolle ſe ulterius morbum alere; tan-

tanquam vivere molestum foret ultra quam posset esse utilis, & neque ipsi quidquam posset esse utile nisi jam plane migrare ad propiorem usum ejus, quem partim cogitando, partim Divinis scriptis legendis hîc tam calide perceperat. Denique quum in sedente, stante, incedente, omnis calor se frangeret, ut ipse mihi ante dies confitebatur, ab nimio frigore in lectum prostratus traxit usque ad horam sesquisextam matutinam diei octavi & vigesimi mensis Martii. Qui enim truculentos hiemis gelidissimæ rigores toleraverat & integer transierat, illius noctis paucarum horarum frigore sic dilaceratus, sic ustus fuit, ut aliam hiemem intravisse appareret. Itaque assiduum tunc intra labra, sed inarticulatum nec intelligendum murmur in eo observatum fuit, sive id ipsum querente, sive Dei implorante auxilium. Tandem ad horam quintam mente instantem migrationem divinante quum clamavisset transferri se debere in alium lectum, qui in eodem cubiculo die præcedente stratus erat, dum ad id omnia parantur, videns famulus capite nimis depresso & humili incommode cubare, rogansque an pluribus cervicalibus fulciri mallet, ubi visus fuit assentire, insiliens in lectum & divaricatis pedibus levans ægrum, ut pulvini commode stiparentur, re-

repente competit eum dilabi, anhelitum pressiorem esse & fauces arctari, ut vix advocatis præstantissimis Viris & hujus morientis longe suavissimis Amicis & tunc hospitibus Vanden-Endiis Patre & Filio, in eorum conspectu defecerit, cum admirabili æquanimitate exantlatis tot truculentis senectutis & mortis oppugnationibus, migrante anima ex illo lecto, quod per corpus prædixerat.

Hæc fuerunt suprema Viri in disciplinis variæ doctrinæ præcellentis, in intelligendis ac subtiliter pensitandis rebus judicii magni & elegantissimi, in Professorio nomine exsequendo frequentissimi, cum primis Philosophorum omnium solertia & sapientia censendi, & ad Socratis aut Catonis specimen in omni usu summi.

Decessit nullo testamento; non quò nesciret vulgarem modum (fecerat enim olim, quod rupit in morte materteræ, quam hæredem instituerat) sed quod partim maximi æstimaret omnia duntaxat sua libera, neque ullis frenis quarumlibet coercitionum impedita esse; partim res istas tanti non faceret, ut de illis dividendis aliter quam naturæ æquitas vellet, somniaret; sicuti etiam possedit magis illa collecta noscens quam genium suum, quem tamen nullo sumtu fraudavit.

vit. Hanc indiligentiam ex variis ſermonibus colligebam infixam fuiſſe illi ab eo tempore, quum fœda ac miſeranda diritas ordinem noſtrum flagellaret. In quem quum ſpecioſis reipublicæ literis evocemur omnes ad easdem utilitates & prærogativas, ut loquuntur; paucis quibusdam excretis, in quos commoda congererentur, reliqui erant gymnaſia faſtidii & ludibrii aulici, ubi ſtudia ignorabantur, niſi iſta plena vecordiæ ac ſimul inania & fluxa. Ipſi autem acciderat, ut literas ab Gubernatore ſubſcriptas & in hanc urbem jam miſſas, quibus deſtinabatur Rector Magnificus, quorumcunque artificio exaratæ aliæ, quibus avertebatur ab iſto decore VOLDERUS, poſtridie exceperint. Statim noſſe ſortem ſuam potuit noſter, quod in rebus tetricis magnum eſt & glorioſum & plenum ſolatii. Hinc ad deſpiciendos & illos, per quos venerant, atque etiam id ipſum, propter quod venerant, concitatus, magniſque & ſanctis munimentis ab hac parte ſe circumſepiens, inprimisque hinc ſemper interius flectens, fortunæ inde venienti laqueos & ungues paravit. VOLDERI non erat poſſidere aliquid precibus expreſſum, animoque ſervili præmia ineptiæ reputare. VOLDERUS ſemper, quaſi ignoraret ſeſe, modeſtus, & credens plura peccari.

cari ab eo, qui magnates adulatione demereretur, quam si offenderet, silentio & tunc & semper maluit se involvere tanquam libertatis seu spretionis satis magnifico generi. Unde nec ad magisterium collegii Academici venit VOLDERUS, nisi demum anno XCVII. non ipsius habitu mutato, sed aula erubescente ad pœnitentiam usque, ter interim archiva Academica Curatoribus & Consulibus illi decernentibus, ne in vacuum desidere videretur. Hinc nec matrimonio dedit operam Vir liberalissimæ comitatis, non tolerans propagari in plura talibus ærumnis subjecta, sed in auditoribus habens liberos & consanguineos. Quum interim ita fuerit probatus Illustribus conspectæ hujus civitatis Proceribus, ut non modo elegerint Quatuorvirum Scholæ puerilis constituendæ, sed & continuaverint per omne Professionis tempus, ludentibus ita fatis, ut sicut ille supplevit locum ab Patre meo mortuo, per breve spatium interposito altero, derelictum, sic ego excepturus sim, ut audio, VOLDERUM volentibus Vobis, Honoratissimi Viri, quorum judiciis & gratias nunc ago & semper conabor satisfacere.

Sic igitur BURCHERUS de VOLDER post suffragiorum, quæ ab Majoribus Vestris, Spectatissimi Proceres, de illo lata erant, & exspectationem

penitus impletam & honorem servatum, post Collegii Professorii consortium omni virtute & sapientia & gloria decoratum, post Academicos labores ad legem exhaustos, post amicitias omni fide, suavitate & dignitate cultas, post civis munera omnia patriæ præstita, post custoditas hæredibus opes in illius manum divinitus missas, valere jussit hoc omne quidquid est ac plaudere, & quidem ita, ut nemo possit ægre ferre, nemo indignari, nemo velut fugientem conturbatorem retinere aut revocare. Non enim lascivia id fecit, non quod repentino fastu negligeret, nec quod tæderet eorum, quos circa se habuerat; sed vir Deo semper & ante omnia agglutinatus, audiens Dei vocem, judicavit sua interesse, ne posset videri erga eam irreverentior fuisse, quam Lacon erga suos Ephoros. Hunc legerat vocantibus illis non pedetentim, tarde & segniter accessisse, sed cursim atque præpropere, gaudentem aperire suum studium parendi civitati, & tum honore se affici existimantem, quod imperio civitatis obsequi alacer & hilaris videretur. Non aliter VOLDERUS judicavit honoris & salutis suæ interesse, non tergiversari quocunque prætextu, sed abire, immo exilire.

Quid igitur? utrum sic deserti indomito hinc plan-

planctu aut luctu nos macerabimus, vel Phrygas aliquos aut Caras & Mysos arcessemus ad asperrimum illum Græci gentilismi threnum & neniam, aut Romanum lessum & tibiæ cantum exordiendum de vita tam arcto præcincta circulo? An cum rustico eruemus terram, ut sicuti ille Antigonum, nos subductum luci huic & sepultum VOLDERUM refodiamus? aut in varietate rerum nostrarum deploranda, ut fieri solet, insulse hærebimus & præstantia hominis ad mortalitatem dejecta, unde exemptum animadverterunt ipsi veteres unionem? Quanquam sit impetibilis dolor, & vix percipi possit ornamentum hoc ad invidiam fulgens ab brevi hora esse confractum; quid tamen ingemiscemus mortuo, qui ipsi quotidie morimur? Jucundiores, agite, demus conscientiæ cogitationes, præsertim quum cursu bene confecto delectatus VOLDERUS aliud voluerit, aliud nos docuerit. Ille ex suo lectulo excessit, tanquam ex sapientium convivio, nec sitiens, nec ebrius, securus in ejusdem Domino, ac permittens libenter, ut & hæc & alia omnia librentur Ejus voluntate. Quin arripimus etiam nos aliquid modestius, sanctius, & tibi, VOLDERE, magis decorum & congruum. Nos Deo, nos tibi gratulamur; Illi, quod benefica sua munificentia te excitaverit manu utique

ſua, unde non exſpectabaris, ut per te fateretur, quam eximius foret homo, quantumque divinis poſſet adhæreſcere; tibi, quod in vitæ tuæ ætate præbueris documentum, quo eſcendere posſit humana mens, & quod te in vigilia ſtationis Philoſophicæ collocato huc converterint vultum gentes terrarum ultimæ, quæ deceſſum tuum flebunt, quæ doctrinam & nomen loquentur & mirabuntur, quæ cum hoc fano memoriam tuam conſecrabunt, quod te locum hunc celebrante non modo ſarta tecta fulſerit & candore mirabili criſpaverit tua facultas, ſed ferme ipſa Philoſophia magis ex vero, magis ex propinquo ſpectandam hominibus ſe præbuerit ac uberiore & dulciore fœtura germinaverit. Quare quoniam ad hoc deventum eſt, Ave, Ave, Voldere, & ut ter ingeminem breviterque dicam omnia Ave, inquam, VOLDERE, Te Academia hæc EXSPECTAVIT, ADORAVIT, VIDIT, ET ABEUNTEM DEDUXIT, ut Athenæ celebraverunt Cn. Pompejum Magnum, quo non fuiſti minor.

I L I C E T.

NENIA
BURCHERO DE VOLDER,

PHILOSOPHIÆ ET MATHESEOS *dum viveret*
IN ALMA ACADEMIA LUGD: BAT.
PROFESSORI DIGNISSIMO
VIRO SOLIDISSIMO ET INTEGERRIMO SACRA.

QUi veri cunctos studio sacraverat annos,
Tranquillus summum nunc obit ille diem:
Integer, & judex, quo non constantior alter,
Justitiæ recta tendit in Astra via:
Cætera Pacis amans lites & bella vetabat;
Candidius vidit quo bona Terra nihil.
Sic quoties nitidi lustravit Sidera Cœli,
Edidicit Pacem summa tenere suam.
Orba patrocinio Libertas optima tanto
Luget, & heu! mortem deflet amica tuam.
Majorem doctæ quo non vidistis Athenæ,
Nec spectat Batavum libera Terra parem.
Utilior nostro Civis non extitit Ævo.
Quid mirum amissas si dolet Orbis opes?
Hæredem tabulis alius sibi scribat iniquis,
In placido durum non capit Ira locum.
Omnis Amicorum conclamat turba, valeto,
O tutum fidæ pectus Amicitiæ!
Care vale, Voldere vale, venerabile Nomen!
Te dum fata vetant vivere, fama jubet.
In terris partes sapiens impleverat omnes,
In Cœlis sancto jam placet ipse Deo.
Sed quid ego hæc? magni Mens alta atque una Gronovi
Sufficit in laudes ingeniosa Viri.

J. a GROENENDYCK.

ROUKLAGHT

over den Heere

BURCHERUS DE VOLDER

Professor der Filosofye en Wiskunst in de Akademye te Leiden.

Overleden den xxviii. *van Lentemaent MDCCIX.*

O Leiden, Rhynlants hooft, Minerves outste Zetel;
Apolloos heiligdom; en Themis hoogste lust;
Wat ramp, och Moeder, welck een slagh rukt zoo vermetel
Den hooftpylaer om ver, daer uw gebou op rust!
Die kopre zuil, waer op uw Tempels veertigh jaren
Hun glori vesten, legt gemeten in het zant!
Wat troost, ô Moeder, kan uw droefheit doen bedaren?
Gy mist uit uwe kroon den schoonsten diamant!
Gy mist Hem, wiens gezicht zoo diep drong in de waerheit,
Als Hy doorgrondde, hoe d' alvoedende natuur
Haer wondren werkt, en zette in middaghschoone klaerheit
Den grontslagh van dit rondt, van water, lucht, en vuur:
Of als Hy hooger klom in zyn bespiegelingen,
En leerde, hoe de ziel bestaet uit louter geest;
Hoe deze kent een' Godt, een oorsprong aller dingen,
Almagtigh, eeuwigh, en van eeuwigheit geweest.
Gy mist Hem, in wiens geest de wysheit van Athenen,
Van Memfis, Syrakuse, en Rome, 's werelts hooft,
Na zoo veele eeuwen, heeft in vollen glans herschenen,
Door later vonden noit van haer waerdy berooft.
Wiens bloeiende vernuft aen gryze Sokratessen,
Gestrenge Zenoos, en vergode Platoos noit
Den lof ontzeide van hun wydtvermaerde lessen,
En spreuken, in de blaên van Cicero gestrooit.

Die

Die zelf een Archimeed, op Archimedes gronden
 En regels bouwde, schoon verloop van eeu en tydt
De kunst verrykt heeft met een' schat van nieuwe vonden,
 En van onzekerheit en duisternis gevrydt.
Zoo hield Hy d' Outheit en haer wetenschap in waerde,
 Heel anders als men nu van veelen ziet geschiên;
In wie een ydle waen al vroegh verachting baarde
 Voor schriften, by hen noit doorbladert of gezien.
Zijn naerstigheit, besteedt met zoo veel vrucht en voordeel,
 Aen Griexe schryveren, gelezen in hun tael,
En Roomsche Wyzen, streek altoos een ander oordeel,
 Zoo ver de waerheit hen verlichtte door haer' strael.
Wat haette Hy? de vuige en duistre schoolgeleertheit
 Van jonger eeuwen, toen het drieste bygeloof
De waerheit dompelde in een' afgront van verkeertheit,
 En rechte wysheit viel d'onwetenheit ten roof.
Toen niemant moght, naer eisch der schoole, redeneren
 Dan van hoedanigheit en heimelyke kracht,
En 't diepgefronste hooft scheen wonderen te leeren
 Door onderscheiding van gedaente en van geslacht.
Zijn edele verstant, van hemellicht beschenen,
 Koos zich een ander spoor, een recht en effen padt:
Hy zagh de duisternis en nevelen verdwenen:
 De waerheit nu niet meer met bastaerdy bekladt.
Descartes gronden en gewisse voet van denken,
 Gericht ter wysheit en onwrikbre redenleer,
Door hoofdigh bygeloof noch woordenstrydt te krenken,
 Verhieven Hem al vroegh ten hoogsten top van eer.
't Wiskunstige vernuft had dezen wegh gekoren,
 Doch nimmer slaefsch aen 's Mans bedenkingen verpandt:
Dit kon de nyvre jeugt uit zyne lessen hooren,
 Die onuitputbre bron van vinding en verstant.
Al stond zijn kunstgebou, op d' onbevlekte reden
 Gevestight, meê ten doel van afgunst en van nydt,

Al werdt het veel te brusk van 't monfterdier beftreden;
Het bleef onwankelbaer in 't barnen van den ftrydt.
Maer 't vreedzame gemoedt holp noit de twiftzucht voeden,
Steets onbekropen van die helfche razerny:
D' onwetenheit moght vry, met dierfch en heftigh woeden,
Zijn ruft belagen: Hy befpotte die harpy.
Waer blonk de wysheit oit zoo ryk begaeft met zeden,
Dan in die groote ziel, zoo braef als heufch van aert,
Zoo minzaem in gefprek, als vol van geeftigheden,
En fpreuken, uit den fchat der wetenfchap gegaêrt?
Gy mift, ô Moeder, nu den Outften van uw Zoonen;
Aenvaerd het rougewaedt, op dat uw droefheit blyk';
Bekrans het edel brein met onverwelkbre kroonen;
Want wat verlies, hoe zwaer, is uw verlies gelyk?
Laet nu uw tempels, laet uw kunftgewyde kooren
Weérgalmen van zyn' lof, en langverkregen naem:
Zoo zal geen duifter graf zyn' glans en luifter fmooren,
Gewydt aen d'eeuwigheit door d' onvermoeide faem.
Maer Gy, verheven Ziel, die nu om hoogh gevlogen,
De Godtheit van naby befchouwt, en voor haer' troon,
Met vafte zekerheit, en onbenevelde oogen
Een fchooner denkbeelt fchept van dat oneindigh Schoon:
Die nu de waerheit ziet beveftight, en uw gronden
Van alle tegenfpraek en twyffeling bevrydt:
Die nu de werking van zoo veel geftarnde ronden,
Van maen en zonne ziet, bepaelt door uur noch tydt:
Gedoog, vergode Ziel, dat wy U hier op aerde
De plechtige offerhandt van onze dankbaerheit
Toereeden, en uw' dienft erkennen naer zyn waerde.
Zoo blyf de heldre naem van VOLDER uitgebreidt,
En eeuwigh leven, daer de wetenfchappen bloeien,
En ware wysheit klinkt d'onwetenheit in boeien.

E. VAN BOCHOVEN.

PARENTATIO

VIRO SAPIENTISSIMO

BURCHERO DE VOLDER

Summo Philoſopho, & Mathematico

A

CLARISSIMO VIRO

JACOBO GRONOVIO

Facta, & memoriæ conſecrata.

Luſibus humanis qui non indulſit, ut inter
Tot mundi mimos vellet habere locum,
Partibus exemtus ſtulti ſimulacra theatri
Spectator riſit, dum ſibi quiſque placet.
Non ignava tamen diſtractus ad otia, at inter
Ornatos ſummo clarus honore viros.
Uſque adeo, ut de ſe ſpectacula grata modeſtis
Ad veræ laudis præmia certa daret.
Ipſe ſuo exemplo ſapiens, ſecumque beatus,
Pacis amans, læta ſimplicitate nitens.
Talis erat, mœſto quem deflet Muſa ſuſurro,
VOLDERUS, *docto talis in Orbe fuit.*
VOLDERUM *dixiſſe ſat eſt, nam cætera duxit*
Fama per eoas occiduaſque plagas.
Omne dedit Muſis tempus, dum ſiverat ætas,
Otia quæ infirmo læta dedere Seni.
Propoſitique tenax, titulique intactus amore
Æquali cœptum tramite fecit iter.
Non huic perſonam tituli, non fama, nec ipſæ
Parcarum immites impoſuere minæ.

Nil

Nil sibi præsumens Mundi spectator & hospes
Liquit, ut abjectas, quas dedit orbis opes.
Quid sibi composito fieret securus, amicis
Nec dabat officii, nec prohibebat, onus.
Sic posuit placidus pacatæ munera vitæ,
Si posset, tacita contumulandus humo.
Non sinit hoc pietas, non ævi gratia culti,
Quæque suam luget docta Minerva vicem.
Justa parentali persolvi munere Musæ,
VOLDERI *ut maneat nomen in ore, volunt.*
Nec desiderium perfert concordia Vatum,
Ni fuerit luctum testificata suum.
VOLDEROque *suo, sibi quem conjunxerat usus,*
GRONOVIUS *mœrens justa suprema facit.*
Inter amicitiæ tot candida signa dolorem
Compensat tanti gloria summa Viri.
Posthabito luctu, desiderioque beatum
VOLDERUM *sequitur, quo licet usque, suum.*
Quod non contactus sæcli contage theatro
Exierit, plausu liberiore juvat.
Sic tua laus VOLDERE *pio præcone per ævum*
Vivet, & ad famam posteritatis abit.
Nec tua GRONOVI *pietas, quæ debita sancto*
Solvit VOLDERO *munera, laude vacat.*
Nam vobis tædas inter positasque cupressos
Florebit viridi palma renata coma.
Sic sibi consuluit Sapientia, cujus ab usu
Ornamenta domus enituere sacræ:
Ut nunc magnifico dictum præcone, perenni
Nomine, in exemplum sæcla futura legant.

HENR. SNAKENBURG.

00564,3741